Quelle: http://manuscripta.at/?ID=35467
Copyright: Neustift/Novacella, Augustiner-Chorherrenstift

et adiecit. Ego sum dyabolus et preceptum est michi ut antequam homines turbatum vadant, in domum tuam te transferam, eo quod uxor tua iam alteri nupsit, etiam in nupciis cum illo iam sedet. Et tollens ipsum circa solis occasum in curia propria sine lesione aliqua collocavit. Qui domum suam qui barbatus intravit, cum uxorem suam cum sponso comedentem conspexisset, propius accessit, ipsaque aspiciente, partem anuli in cyphum mittens recessit. Quod ut illa vidit, partem circuli quam ipsa habuit illi adaptavit, et mox cognovit illum esse dominum et maritum, statimque exiliens et in amplexus eius ruit, virum suum esse proclamavit. Et sic alteri sponso valedixit.

Miraculum de decima.

Miles quidam in dandis decimis substante erat iustitie, ut ei summum esset studium illas solvere sine vexatione. Habebat autem vineam quandam que .x. carratas annuatim solvere solebat. Quodam tempore postquam vinea sua esset collecta, vinumque expressum, una tamen inventa est carrata. Quo audito miles ait servo suo: quod meum erat dominus abstulit, certe ego de porcione sua non aufferam. Vade et da sacerdoti carratam hanc pro decima, quod et factum est. Eodem tempore sequenti anno militis scilicet quidam sacerdos iuxta predictam vineam transiens, ipsam videns uvis bene refertam, moxque ad fratrem intrans de negligentia ipsum arguens dicens: quare non diu collecta est vinea tua. Respondit ille: iam diu est collecta. Sacerdos: numquam illam tam plenam vidi. Quesitum et inventum est, quod alio umquam anno uberiores fructus tulit.

De quodam clerico et malo consilio dyaboli.

Clericus quidam in quodam cenobio cum monachis loquendo intantum litteras didicerat ut et iam textum aliquantulum legere